17094/p

DISSERTATIO

MEDICA

DE ILEO,

QUAM Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo medico Monſpelienſi tueri conabitur

AUCTOR,

ELZEARUS PIUS CAVALIER Barjolenſis, è partitione dictâ *du Var*, liberalium artium magiſter, & jam dudùm medicinæ Alumnus. Pro trimeſtri Januari anni 1791.

Ad Gradum Baccalaureatûs conſequendum.

... Felix, qui i poterit morbi cognoſcere cauſas.

MONSPELII,

Apud JOANNEM-FRANÇISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI

UXORI CARISSIMÆ

ET

IN ÆTERNUM COLENDÆ

D. V. C.

Conjux amantissimus

CAVALIER.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFFESSORES REGII,

PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Universitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

FRANCISCUS BOUSSONET.

FRANCISCUS VIGAROUS.

HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

DISSERTATIO

MEDICA

DE ILEO.

SPECIMEN profectuum meorum exhibiturus, thema feligere conſtitui, quod ad pathologiam pertineret. Placet itaque ſectari hodiè materiem cujus phœnomena cor meum adeò perculêre, ut in mente meâ in æternum repoſta manſerint. Quid reipſâ atrocius dolore ſemper renaſcente qui ſocius eſt perennis vomitûs conſtantis unâ cum pertinaciſſimâ alvi obſtructione inibi hærentis, qui ileum exprimunt.

Variis inſignitur nominibus miſeranda hæc affectio. Ab arabibus dicitur iliaca paſſio; à latinis ſimpliciter ileus, eò quod pars ut plurimùm affecta inteſtinum eſt ileum. Perperè etiam volvulus, nec non convolvulus, cum ileus,

absque convolutione, vel intus susceptione, & hæc absque illo occurrat. Nuncupatur quoque chordapsum, quod chordarum expansionem significat à similitudine, quià si manus abdomini applicetur, instar chordæ expansum videtur. A *Blancardo* vomitus intestinorum vocatur. Quibusdam stercoreus designatur vomitus, quia interdùm fecum dejectio fit per os; ex dolorum tandem atrociâ, earumque fecalium materierum rejectione, & ex parvulâ sanitatis spe, miserere mei appellationem deprompsere, & clamitavere barbari.

Ilei causam specificam seu particularem in præpostero ac inverso intestinorum motu posuere *Petrus Salius diversus*, dein *Sennertus*, *Riverius*, *totusque ferè clinicorum chorus*. Notum est intestina motu pollere naturali, mediante quo, ad inferiora sensim propelluntur chilus & feces; peristalticus ille nominatur. Invertitur ille motus aliquandò à causis præter naturalibus meterialibus quarum in enumerationem descendere meum est, & ut intestinorum fibræ quæ à superioribus versùs inferiora contrahi debent, ad superiora tunc contrahantur, & quæcumque in intestinis continentur, non versùs alvum sed versùs ventriculum protrudantur: indè mali labes.

Motûs hujus inverſionem tamen negavêre nonnulli medici, nempè *St. André*, *Haguenot* hujuſce licæi Profeſſor in æternum lugendus. Voluêre clari illi viri excretionis cauſam per os pendere à violentâ muſculorum abdominalium contractione. Ipſiuſmet inverſi motûs videtur eſſe irritatio quæcumque, vel obex inteſtinorum, ità ut hoc perſtante, non queant deorſùm moveri contenta.

Ex dictis Patet, quidquid inteſtinorum inverſionem excitare poſſit, pro cauſâ materiali volvuli haberi debet.

Ea igitur ileum producunt quæ diametrum canalis inteſtinrlis multùm minuunt, aut integrè obturant. Talia ſunt materia inflammatoria ſive inteſtinorum, præcipuè ilei, peritonæi, muſculorum abdominalium, ſive materia bilioſa, acris, iiſdem partibus hærens, tùbi etiam inteſtinalis calloſa craſſities, ejus anguſtatio à fecibus induratis, exſicatis, coacervatis, cujus exempla adſunt apud *Foreſtum* & *Galenum* ad quam diſponunt cibi multi, crudi, pingues, corrupti, fructus immaturi, caſtaneæ immodicè ſumptæ, abuſus fungorum, conchiliorum, fabarum, piſorum, miſpillorum, ſorborum, ingens ceraſorum cum nucleis copia. Teſtatur *Heers* ſe preſente, ad iliaci cor-

poris diſſectionem, ſpontè inteſtina crepuiſſe, cum impetu crampentibus exploſis nucleis.

Flatus etiam conſtituunt volvuli cauſam. Videre eſt exempla apud *Hippocratem*, *Wanderlinden*, *Sauvageſium*, *Rolfinkium*, *Foreſtum*.

Vermium exiſtentia in inteſtinis creberrimè ſuppeditat huic ſævo malo producendo. Teſtantur plurimorum auctorum obſervationes à lumbricis in ileo detentis, & in diſſectis cadaveribus repertis iliacam paſſionem fuiſſe productam

Pendet etiam à calculis vel ibi natis, vel ex hepate eò delatis, à glutine inſpiſſato, indurato, ab aquâ frigidâ potatâ, ſi dùm quis ſudat, eam largè abundèque ingurgitaverit. Evempla proſtant apud *Zacutum*, *Avenſoar* & *Zacchinum*.

Venenorum uſum ut familiarem ilei cauſam deprehendit *Nicander* qui in alexipharmacis damnat aconitum, ſpumam argenti. Fungos *Aurelianus*, lithargirum *Zachinus*. Exempla nonnulla ab arſenico apud *Foreſtum* & *Sauvageſium*.

Abſceſſus quoque, ſquirri, denique anus non perforata in infantibus, menſium hæmorroïdum ſuppreſſio, parietum inteſtinalium poſt vulnera ulcera, concretio, tumores meſenterii, pan-

creatis , utteri , ovarii, morbum hunc producere valent.

Legitur & in tranſactionibus anglicanis ileus natus à ſpaſmis , motibuſque convulſivis diaphragmatis & muſculorum abdominis.

Inter cauſas ilei numeratur interdùm , invaginatio , ſubſidentia , mutuus ingreſſus , intus ſuſceptio inteſtinorum & convolutio eorumdem , dum portio ſpaſmo contracta tenuis & anguſta reddita , in contiguam ejuſdem inteſtini partem ſæpè ad notabilem longitudinem ingreditur, ſicque liberum tranſitum per cavum inteſtini intercipit. Bis hoc publicè demonſtravit *Ruiſchius*. Hæc intus ſuſceptio nec uno tantùm loco in cadaveribus deprehenſa eſt , ut compertum eſt obſervatis *Boneti* , *Peyeri*. Pluribus in locis inteſtina tenuia ſic involuta vidit in cadavere puellæ convulſionibus mortuæ *Villiſius*.

Hernia qualiſcumque ſive inguinalis, ſive oumbilicalis, quàm ſubſequitur inflammatio , ileum producere valet, ſicuti patet ex obſervatis *Foreſti* , *Ballonii* , *Manget* , *Petit*.

Nonnulli exiſtimant hunc morbum æquè in tenuibus ac craſſis inteſtinis generari poſſe , quia in omnibus covulſio illa fieri, & ſic motus ille periſtalticus inverti valet. In hâc opinione verſatur *Peyerus* , æquè ac cele

berrimus *Barbek* qui vidit in cadavere Portionem inteſtini tenuis cum cæco ſe abſcondiſſe ultrà palmæ longitudinem, in craſſum.

Tenuia autem inteſtina frequentiùs inflammari quàm craſſa obſervationes confirmare videntur. Pars etenim affecta, omnium auctorum conſenſu ſtatuitur inteſtinum ileum, ut ultimum, ſic omnium longiſſimum, in latitudine verò uni digito tranſverſo ut plerùmque reſpondens: quâ propter cæteris quoque anguſtius eſt, undè certiùs dicitur inflammari.

In hoc morbo intolerabilis ille dolor, ut in diagnoſi explanabitur, medium abdominis, ſeu umbilicum regionem frequentiſſimè occupat, ubi naturalis inteſtinorum tenuium ſitus eſt.

Aperturâ cadaverum conſtat duodenum rariſſimè, jejunum rariùs, ileum ſæpiſſimè affici.

Craſſa inteſtina rarò affici creditur. Bis tamen iliacam paſſionem à coli inflammatione obſervavit *Dolæus*, quod & etiam vidit *Villiſius*.

Fortè etiam craſſorum inteſtinorum talis eſt conſtitutio ut minus facilè afficiantur quàm tenuia, cum ſtercoraceæ materiæ jam putridæ & acriori ſervandæ inſerviant. Prætereâ omne acre ingeſtum, vel morâ in ventriculo aut inteſtinis, tale redditum, primo noxam inferret tenuibus inteſtinis, antequam ad craſſa pervenire poſſet.

In debilibus infantibus lac injeſtum ſæpè aceſcit, coloſtro caſeoſo, inteſtina infarciuntur quod morâ acrius factum, inteſtina tenuia rodit & inflammat, undè ileo & volvulo tot infantes pereunt, poſt diros abdominis dolores, uti omnes practici conveniunt.

Plurimis, qui tantùm admittunt ilei ſedem in tenuibus inteſtinis difficile imò impoſſibile videtur, quomodò, ex craſſis contenta venire valeant in ileum inteſtinum, uti etiam quomodo locum illum in quo volvulus hæret, ſuperare potuerunt. Verùm enim verò ſi conſideretur inverſo hoc periſtaltico motu ileum evacuari, cæci finem quàm maximè urgeri, & latera ejus diſtrahi, apparebit ex hoc fieri poſſe. Celeberrimus *de Haën* exemplum refert tympanitici volvulo necati, in quo, coli, cæci, ileique diameter adeò aucta fuit, ut *Bauhini* ne tertiam fortè aperturæ partem tegeret.

Signa quæ iliacam paſſionem declarant hinc & indè à practicis afferuntur quàmplurima & ſitu neceſſaria deſcribere hîc mei muneris eſt. Tardâ ſolent eſſe alvo, atque de ejus adſtrictione eos ſemper conqueri audiunt, & ità quidem ut magno quamvis conatu expellendi, nihil tamen fecum excludant.

Cum volvulus aliquem corripuerit, venter

durus redditur, nihilque intrà remittit. adhuc murmura inteſtinorum, & circa ventriculum, ab initio, ſentiunt dolorem, modò ſuprà oumbilici regionem, modò infrà. Dolor ille ſucceſſivè augetur, in principio per intervalla affligit; dein fixus, urens in eâdem parte conſiſtit.

In loco dolente tumor quando apparet renitens, oblongus, chordam tenſam referens.

Accedit conatus ad vomitum, dein vomitus alimentorum ipſe, ultimè ſumptorum.

Ructus quoque adſunt immanes, & flatus totum abdomen perepentes iliacos agunt, raroque iliacus invenitur qui flatibus liber, teſte experientiâ.

Ubi malum intenditur, dolor fit acutiſſimus & intolerabilis, & ægri vel dolorem, uno vel pluribus in locis, fixum permanentem, tenſivum aut pulſantem ſentiunt.

Progrediente morbo accedunt enormes vomitus, & tales quî non dum taxat cibum & potum, & humores ratione cauſarum diverſiſſimos, ſcilicet, bilioſæ, pituitoſæ, viſcoſæ, putridæ materiei, ſed & ipſum chilum, & non rarò ipſas feces rejiciant. Ipſa alvus interdum claditur, ut ne acûs admittat acumen.

Cum ad extrema ventum eſt, accedit ſingultus & delirium, itemque nervorum diſtentio, &

gelidus ſudor , & tremor cordis, & ſincope , & materierum clyſterum rejectio. Ab iliacis rejectos fuiſſe clyſteres teſtantur *Solenander* , *Gorter*, nec-non ſuppoſitoria , qualem caſum mirabilem refert *Sennertus*.

Hæc eſt ſymptomatum cohors quæ ut plerùmque minori majorive gradu ileum concomitantur. Signa ea equidem , ratione diverſitatis cauſæ , diverſa etiam apparent.

Sibi peculiaria igitur habet quælibet ſpecies , exempli gratiâ :

Si ab inflammatione oritur hic morbus , cognoſcitur dolore acuto , febre validâ , urinâ rubrâ , rarâ , quandoque ſupreſſâ , ſiti intenſâ , reſpiratione anheloſâ , veloci abdominis inflatione , gravi ſingultu cum ſudore , interdùm convulſione celeri mali progreſſu , tandem aliis phlogiſticis ſymptomatibus.

Sin verò à flatibus , aut aliâ obturatione pendeat , tunc nulla eum concomitatur febris. A flatibus non ſunt dolores ità fixi , ſed facilè diſſipantur , & colica flatulenta imprimis multùm hic facit.

Signa intus ſuſceptionis incerta ſunt , eam verò ſuadent , ſi nullu alia cauſa præceſſit , ſi dolor magnus , continuans , diù in eodem loco immutatus hæreat , & ſi ibidem major expanſio

cum aliquo motu notetur. Tùm etiam inteſtina arctè infrà & ſuprà conſtringuntur.

Volvulum ſigna offerre diſcrepantia ab herniâ docet *Gholius* : in hâc enim vomitus ferè unâ ſerie, ſine interruptione conſequitur & ventrem lapideam duritiem tactui exhibere obſervatur, qui in volvulo, ſemper tumidulus & expanſus eſt.

Si à fecalium materierum coacervatione originem trahit morbus, præcedit diuturna alvi adſtrictio, tactui inteſtina ſtercore turgida apparent, flatus etiam eructantur, & vomitio bilioſa & pituitoſa accedit.

Squirrum tandem adeſſe ſuſpicantur, ſi æger anteà de ponderis ſenſu, in loco fixo conqueratur, ſi per longius tempus, vix alvum deponat, ſi ſummè angatur, & revomat, quæ hoc tempore ſumpſerat, abſque ſtercoreo illo odore apparente in his quæ vomitu rejiciebantur poſt longum tempus.

In medium quoque afferre me juvat quædam ſigna quibus judicari videntur inteſtina quæ ileo afficiuntur. In tenuibus nempè inteſtinis conſiſtere morbum dicit *Galenus*, ſi vomitiones ſunt aſſiduæ ac vehementes, ſi potum continere nequeant ægri, ſi prorsùs nihil per alvum dejiciatur, ſi inteſtina altiori loco torminibus affician-

tur, & maximè, ſi ſtercus per os rejiciatur. Signa ea attigit *Celſus*, dicendo affectionem tenuium ſumi poſſe ex dolore ſuprà oumbilicum, craſſorum verò infrà illum. Sententiam *Celſi* amplecti videntur auctores quàm plurimi. Attamen ingenuè fatentur candidi practici, ſigna ea interdum fallacia eſſe, erroremque demonſtrâſſe cadaverum aperturam.

Magno periculo ſemper ſtipatur ileus, & niſi reſolvatur intra ſeptimum diem, occidit. Hoc vitii genus pueris familiare ſenibus rarius, ac penitùs exitiale. Attamen omnes ilei ſpecies non involvunt idem periculum.

Si ileus à fecibus induratis oritur, curabilem eſſe omnes conſentiunt auctores, alimenta enim & medicamenta quandoque tum aſſumit ac retinet ventriculus.

Quando à ſolâ flatuum obſtructione, ſalutis ſpes minor affulget, urinæ profluvio ſolvitur ac judicatur juxtà *Hippocratem*. Sperare ſalutem licet ſi purgans medicamentum ore ſumptum, alvum perumpens dejectionis initium præbet, etenim bonum ſignum ſi alvus ſolvatur; ſed & hæc non ſemper ſuperatum morbum ſignificant, cum ex loco inferiori cum excernere poſſunt ægri.

Ileus ab herniâ interdùm exitialis. Interdùm

minus etiam periculi esse solet, ubi dolor locum mutat, quàm ubi fixus is in unâ sede hæreat.

Ileus ab inflammatione, paucis jam diebus lethalis. Lethalis omninò si à gangrænâ provenerit.

In infantibus acerbitate doloris convulsivi, dùm, ab acri materiâ intestina excitantur, mors sequitur, antequam inflammatio aut gangræna nascatur.

Si productus fuerit à mutuo intestinorum ingressu, sanabilis modò, modò lethalis dicitur.

Iliacæ passioni, si spontaneus alvi seroſæ fluxus ingens superveniat, aut acuta febris, brevi mors pulsat.

Si ileo supervenerit urinæ suppressio, stranguria, malum erit lethale. Huc spectant sequentes aphorismi *Hippocratis*: quibus à stranguriâ oritur ileus, intrà dies septem moriuntur, nisi copiosior effluxerit urina.

Idem *Hippocrates*: ab ileo singultus, aut convulsio, aut desipientia, aut ventris inflatio, malum.

In ileo ventositas percrepitum inferiùs exiens, si multùm fœtet, juxtà *Forestum* malum est. Exemplum tale vidit Romæ anno 1693 *Baglivius* in iliaco sexagenario.

Si alvus ita constringatur, ut ne specilli qui-

dem extremum admittat, ſtercora rejici oportet, & exitiale ſignum eſſe fatetur *Galenus*.

Si iliacis frigidis oboritur ſudor, mors in ollâ eſt, fatente *Sibizio*.

Tandem mortis futuræ ſigna ſunt ſequentia, reſpirationis difficultas, urinam faciendi impotentia, orta partim à fibrarum laxitate, partim à ſenſibilitatis defectu. Sudores frigidi, alvus perconſtricta, vomitus ſtercoreus denique ſubita dolorum mutatio vel ceſſatio.

Ad felicem hujuſce morbi curationem inſtituendam, cauſarum evolutionem perquàm eſſe neceſſariam, nemo cordatiorum medicorum inficias ibit. Quam autem ſæpiſſimè abſtruſum ſit, in hoc, cauſarum ſcrutinium, practici ſæpiùs toto pectore ingemiſcentes, experiuntur. Filo ſignorum ducti tamen intricoſo labirintho egredi poſſunt veramque viam pandere & à tramite fallaci averti. Ritè penſitatâ igitur verâ ac variâ causâ curationis cardo in eâ vertatur.

Si ab inflammatione inteſtinorum ortum ducat ileus, qui noſcendus venit ſignis jamjam relatis, ad venæ-ſectionem plus minuſve repetitam, ratione ſymptomatum intenſitatis, & ætatis, virium, tempeſtatis, conſtitutionis, temperamenti, climatis, ſexûs, vitæ generis, &c.

Hyrudinum applicationem, in partem abdo-

minalem nimiùm ſæpiùs in praxi vulgari neglectam, & ad antiphlogiſtica omnigeneris ſive intùs ſive extùs adhibita, confugiendum.

Inter refrigerantes potus commendant practici aquam pulli, vituli, orizæ, hordei, graminis, ſerum lactis, emulſiones, & nitroſa.

Quantum uſum habeant clyſmata emollientia & anodina, ad compeſcendum nimium febris impetum, primo intuitu apparet: quapropter foliis & floribus malvæ, ſeminibus lini cæteriſque hujus-ce familiæ, magno cum ſucceſſu utuntur.

Hìc etiam balnea, parata cum plantis emollientibus & refrigerantibus quàm apprimè congruunt.

Molliſſima fomenta, præſertim ſi in craſſis inteſtinis ſuſpicetur morbi ſedes, loco admota dolenti, non ſunt negligenda.

Oleoſa & narcotica internè ſumpta, utiles præſtare effectus poſſe ſat monſtravêre *Sydenhamius* & *Trallianus*, ſed tantummodò poſt venæ-ſectionem liberaliorem, præmiſſaque præmittenda antiphlogiſtica.

Ad internam autem horum-ce remediorum adminiſtrationem, ſumma cautio ſummaque requiritur ſagacitas.

His prælibatis purgántia ſuadent clinici. Inter purgantia

purgantia percelebrantur mitia, videlicet, caſſia, tamarindi maritati cum ſale epſomenſi, aut cremore tartari. Doloris causâ purgantibus anodina mixta exhibenda vult *Meadius*. Hæc eſt etiam ſententia *Tralliani*, opio purgans ſubjungere, ſi dolor admodum urgeat. Neceſſitate poſtulante, purganti iterùm paragogicum ſubſtituere ſicque alternis vicibus pergere, ſub attentione, an, quandò, & quâ doſi hoc vel illud, exhibere expediat?

Meritò quoque in ileo laudantur temperata veſicantia abdomini applicata. De hoc uſu veſicantium in humoribus derivandis maximè inter ſe diſſentiunt auctores, quidam ut *Celſus* & *Aretæus*, in partibus ab inflammatione remotis applicanda volebant. Alii verò jure meritòque, ſicuti *Pringle*, *Cullen*, *Quarin*, cæterique famâ inſignes ipſimet parti affectæ. Poſt ſecundam ſanguinis miſſionem, veſicantium admotionem, illicò parti commendat *Pringle*, eaque conſiderat tanquam antiſpaſmodica & antiphlogiſtica primi generis. Felicem veſicatium uſum in inflammationibus, pluriès habuiſſe teſtatur *Meadius*. In noſocomio *Sancti Eligii* hujus-ce urbis, ſtudioſi, & ego hùc ducti ſtudii amore & doctrinæ clinicæ, teſtes nunc ſæpè

ſumus proſperi eventûs parti dolenti veſicantis admoti, paribus ſub inflammationis caſibus.

Si à fecibus induratis, ceraſorum aliorumque fructuum nucleis inteſtina obſtruentibus, vel à materiâ craſſâ, viſcidâ, pituitosâ, natales trahit ileus, emollientia varia & relaxantia interna & externa præſcribenda ſunt, ut clyſteres emollientes, ſuppoſitoria; varia linimenta, fomenta in eumdem finem adhibuere nec neglexere balnea ex emollientibus, etiam ex ſolo oleo olivarum, ſi per ægroti fortunam liceat.

His ce nihil proficientibus, ad purgantia medicamina deveniendum. Tum ſal epſomenſe in aquâ diſſolutum, in indicatione ſatisfaciendâ aſſumi poteſt. Sic à clinicis adminiſtrari ſolet: uncia una ſalis illius amari in libris duabus aquæ ſolvitur, ſolutionis hujus, omni quarto aut quinto minuto uncia dimidia propinetur.

Quibus non ſufficientibus tria aut quatuor grana tartari emetici aliquot unciis aquæ diſſoluta ano injiciantur. Noſtris diebus nimiùm oblivioni traditi fuere clyſteres tartaro emetico compoſiti, attamen ex eis quàm felices ſortiuntur effectus!

Ad enemata acriora adhuc ſenſim deſcendendum. Fumum igitur nicotianæ in inteſtinis validiſſimè in ſuflatum, omnium enematum effica-

ciſſimum eſſe aſſerit *Sydenhamius* : ope machinæ fumigatoriæ omni horâ aut alterâ ano immiti poteſt. Si fortè obſtaculum quoddam immiſſioni fumi ſeſe offerret, videndum num feces obturent inteſtinum rectum, quæ convenienter removeri debent introductione digiti in anum.

Si enim exiſtat invaginatio tenuium, ingreſſus, intus ſuſceptio, convolutio, ad globulos ploumbeos vel mercurii confugere ſuadent nonnulli medici, ubi nec purgans fortius equidem, nec clyſter, nec aliud medicamenti genus opem tulit. Quâ methodo tamen obtentas eſſe plures curationes conſtat obſervationibus. Exhibere igitur ſolent hæc metalla, licet ea improbavêre *Wan-Swieten*; præmiſſo & deſuper hauriendo, aut juſculo pingui, aut hauſtu oleoſo, incipiendo à librâ ſemis aſcendendo ad libras duas, tres. Sic ſegerunt celebres Practici ; ſic ſegerebat *Hoffmannus*, ſic plures ilei obtinuit curas.

Cum ſigna pathognomonica deficiunt ex quibus cum certitudine concludere poſſunt, an volvulus adſit, & ſi adeſt, an pars ſuperior in inferiorem aut inferior in ſuperiorem, eventus horum remediorum ſæpè ſæpiſſimè fallax erit. Imò in eo caſu ubi ſuperior intraverit, vix non ſemper lethalis, cum malum augeat, protrudendo inteſtinum ſuſceptum ulteriùs in proximam partem dilatatam.

Parum quoque ponderoſum hoc fluidum efficere valet, ſi intricata aut nodoſa in aliquo loco implicatio adſit, & in ileo ab herniâ incarcerâtâ magis nocere quàm prodeſſe.

Hinc omnia tentanda antequam hæc metalla exhibeantur, ad quæ temerario auſu ſæpè recurrunt nonnulli medici. Cautiùs igitur cum his mercandum, alias certò citiùs ægrotum jugulabis, & cum mors non ſequatur, ſequuntur ut plurimùm miri & inſuperabiles morbi nempè tremor in artubus & impotentia in manibus, & paraliſes familiares illis qui argentum vivum quotidiè ad ſua artificia adhibent.

In ileo ab herniâ producto curando, duplex eſt curationis ſcopus, in ſuam ſedem inteſtinum reponere, reſtitutum in loco continere.

Primæ indicationis cura exigit phlebotomiam, ſi adſit inflammatio, fomenta emollientia aquè ac litus ac clyſteres ſitum ſupinum cruribus inflexis. Omni ſtudio omni operâ ergo annitendum ut inteſtinorum fibræ relaxentur, inteſtinumque elapſum reponatur, reſtituaturque ope ſubligaculi aut bracherei perpetuò portandi.

Quandoque ad cætera auxilia deveniendum ſi ſit major reſiſtentia; præſcribenda igitur mediocria purgantia: etenim iliacæ huic paſſioni quò fortiora adhibueris remedia, ſive purgantia

ſive clyſteres magis irritantes, eo magis obſtruetur alvus, ob auctam ab illis fibrarum inteſtinalium criſpaturam & contractionem. Conducunt maximè hic anodina, emollientia & diſſolventia.

Vapores aquæ calidæ per ſellam perforatam ano immiti debent & pluriès in die repeti.

Glacies etiam ad mota in abdomen à nonnullis commendatur, feliceſque ex eâ eventus fiunt.

Inter fomenta varia zacutus lufitanus viam inteſtinorum aperuit, aliis nihil proficuis, ſtercore vaccino quàm recentiſſimo univerſæ ventris regioni applicato.

Suppeditat interdùm proſperum remedium cucurbitarum majorum in abdomen admotio. Ex earum applicatione infeliciter hodiè obſoletâ, in deſperato caſu, in caſùm tentatis omnibus remediis, ægregiam ſanationem obtinuit *Quarin*.

Quidam ut *Alexander Benedictus*, *Mercatus* &c., frigido potu ileum ſuperatum referunt. Clariſſimus *Home* inſperſionem aquæ frigidæ in abdomen, femora & crura nuda ſuadet, & alvum indè feliciter ſæpè ſolvi obſervavit; multa verò in præcipiti periculo rectè fiunt, alias omittenda.

Si ſpaſmus ſit ilei principium ſuperveniatque ileus poſt pavorem terrorem, cæteraque animi pathemata, tempore catameniorum illicò ſup-

prefforum, ſuppreſſisve hæmorrhagiis narium conſuetis, ſeu hæmorroidibus, præmiſſâ tunc temporis venæ-ſectione, opii uſus quem commendat *Sydenhamius*, fit abſolutè neceſſarius. Hoc remedio ſpaſmos frequentiſſimè curavere practici, ſicque ab imminenti periculo plurimos liberâre ægrotos.

Balneorum quoque uſus ſecundum *Celſum* & *Fernelium*, hodiernoſque clinicos, maximi erit emolumenti.

Enemata etiam proſunt confectâ, moſcho, caſtoreo, & aſſa fœtidâ oleoque camphorâ impregnato.

Si à flatibus ortum ducat, recurrendum ad clyſteres primo emollientes, dein carminantes, & diſcutientes cum floribus chamæmelli, meliloti, ſeminibus aniſi, fæniculi, dauci, cuminis, ſimiliumque additis melle & oleo.

Medicamentum ad flatus diſcutiendos proprium eſt aniſum nuptum cum caſtoreo & aſſa-fœtidâ.

Decocto guaiaci multos per dies continuato, frequenterque injiciendo clyſteres, quàm plurimos curaſſe ægros teſtatur *Riverius*.

Ex venenis fontem ducente ileo, æger quàm citiſſimè, ad ſubſtantias venenorum deſtructivas, & quas ſuppeditavit noſtris temporibus, adverſus mineralia venena, nova chemica doctrina confugere debet.

Quibuſlibet debellandis appropriatum eſt remedium. Jamdudùm oleum, juſcula pinguia, lac ſemen lini, ſimiliaque, ſeu per os, ſeu per anum ſumpta, aſſueta fuerant remedia ad uſque diem fulgentem quo medicinæ horizontem ſol chemiæ fulſerit.

Tandem ſi à vermibus agglomeratis pendeat ileus, in uſum vocanda veniunt anthelmintica hùcuſque nota, v. g., helminthocorton, corallina, folia & flores perſicorum variis ſub formis uſurpata, & connubio juncta emollientibus & paragogicis, in dolore ſopiendo. Ad hunc finem conducunt flores malviæ, ſambuci, verbaſci, crocus & lac. Oleoſa etiam purgantibus maritata enecandæ familiæ verminoſæ idonea ſunt.

Tandem in omni ilei ſpecie, ſi dolor admodùm urgeat, ob metum inflammationis ut plerumque neceſſaria fit venæ ſectio, æquè ac potio anthiemetica *Riverii*, ſumpta ut plurimùm ſub momento efferveſcentiæ, quemadmodum commendat illuſtriſſimus *Magbride*.

Huic potioni, vomitu admodum urgente maritentur paragogica & ſedantia, nempè theriaca recens, liquor anodinus mineralis *Hoffmanni*, tinctura thebaïca *Sydenhamii*, nec non tinctura ſuccini vel caſtorei præprimis, ſi ſpaſmus & virium debilitas uno pede procedant. Sub quali-

cumque ilei genere oportet ut ptiſaonæ frigidæ aſſumantur ; valdoperè hic certè proſunt, limonum ſuco impregnata aqua, gallicè *limonade*, ſeu levis infuſio foliorum menthæ, quam laudibus extollit *Sydenhamius*.

Licet per illa quæ hac tenùs tradita fuere, dolor ceſſaverit, vomitus febriſque remiſerit alvuſque libera fuerit debemus tamen cogitare partem illam inteſtinorum, ubi morbus hæſit, diù adhùc retinere magnam ſenſibilitatem adeò ut denuò dolor, ſpaſmus, inflammatio recrudeſcere poſſint, ſi vel levis irritatio acceſſerit ab ingeſtis, vel acrioribus, vel difficilis digeſtionis. Omnia enim aſſampta hùc venire debent facili negotio coquenda, & ideo *Sydenhamius* probè gnarus hunc ce morbum, præ aliis omnibus, in recidivam maximè pronum eſſe, reconvaleſcentibus ileo frigus & alimenta quæ duras feces generant, vitanda ſuadet; & monet *Hoffmannus* ne iis alvus, aut mictus retin atur.

Cavendùm igitur ne majori copiâ graventur cibi licet tenues & facilimæ digeſtionis, & ideò parum ſimul, ſed repetitis vicibus dentur ut tempus concedatur diſtentis ſemper anteà enormiter inteſtinis, ut amiſſum robur ſenſim recuperare queant.

FINIS.